



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

272. Ut omnis Presbyter suis parroechianis symbolum & orationem
dominicam insinuet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

Ut omnis Presbyter suis parrœchianis
symbolum & orationem dominicam insi-
nuet. *Ex Concilio Remensi tit. xx.*

CCLXXII. Ut omnis Presbyter omni-
bus parrœchianis suis symbolum & oratio-
nem dominicam aut ipsemet insinuet aut aliis
insinuandum injungat. Et cùm ad confessio-
nem tempore quadragesimali veniunt, hæc ab
unoquoque memoriter sibi decantari faciat,
nec antè sanctam communionem alicui tradat
nisi hæc ex corde pronuntiare noverit; siqui-
dem sine horum scientia nullus salvus esse po-
terit. In uno enim fides & credulitas Christia-
na continetur, in alio quid orare & petere à
Deo debeamus exprimitur. Quòd verò sine fi-
de nemo possit esse salvus, Dominus ostendit,
cùm dicit: *Qui crediderit & baptizatus fue-
rit, salvus erit.* Nullus autem credere potest
quod nescit nec audivit. Ait enim Paulus:
Quomodo credent ei quem non audierunt? Nec
sola sufficit fides in corde, nisi etiam verbis
enuntietur, ut idem Apostolus testis est: *Cor-
de, inquit, creditur ad justitiam, ore autem con-
fessio fit ad salutem.* Nullus autem de stolidi-
tate sensus vel tenuitate ingenij causetur: quia
hæc tam parva sunt ut nemo tam hebes & bar-
barus sit qui hoc discere & verbis communi-
bus pronuntiare non possit, tam magna ut qui
horum scientiam pleniter capere potuerit,
sufficere ea sibi credatur ad salutem perpe-
tuam. Illud etiam observandum, ut nullus
suscipiat infantem in baptismo à sacro fonte
antequam eundem symbolum & orationem

Burchard. lib.
2. c. 62.

Vide Capitu-
lare Theodul-
fic. 22. Capi-
tulare Ahyto-
nis c. 97. lib.
5. Capitular.
c. 103. & lib.
6. c. 172.

Marc. 16.

Rom. 10.

Rom. 10.

Capitulare
Theod. lib. c.
22. & lib. 6.
Capitular. c.
172.

dominica coram Presbytero decantet ; & ut Presbyter omnibus patrinis annuntiet quod debitores sint suis filiolis , cùm ad intellegibilem ætatem venerint , hæc eadem insinuare.

Ex Capitularium lib. II.

Concil. Mogunt. sub Kar. M. c. 47. Lib. 2. Capitular. c. 39.

CCLXXIII. Præcipimus ut unusquisque compater & proximi spirituales filios suos catholicè instruant. [*Vide Capitulare Ahytonis Episcopi Basileensis cap. 18. item Capitulare ejusdem cap. 25. in to. VI. & VIII. Spicilegii Dacheriani.*]

Ex eodem, cap. XLIX.

Concil. Arelat. 6. c. 19. Lib. 2. Capitular. c. 46.

CCLXXIV. Ut parentes filios suos, & patrini eos quos de fonte suscipiunt, erudire summopere studeant ; illi, quia eos genuerunt & eis à Domino dati sunt ; & isti, quia pro eis fidejussores extiterunt.

De Letania majore. Ex Concilio Moguntiacensi.

Concil. Mogunt. sub Kar. M. c. 33. Lib. 5. Capitular. c. 86. Burchard. lib. 13. c. 6. Vide Concil. Aquisgr. anni 836. c. 10.

CCLXXV. Placuit nobis ut letania major observanda sit à cunctis Christianis die septimo Kalend. Maij, sicut legendo reperimus, & sicut sancti patres nostri constituerunt, non equitando, non pretiosis vestibus induti, sed cinere respersi, & cilicio induti, nisi infirmitas impederit.

De jejunio rogationum.

Burchard. lib. 23. c. 7.

* *Edirio Helmaestad. infectarentur*

CCLXXVI. Cùm exigentibus peccatis Galliarum populi luporum rabie acriter interimerentur, nec hujus flagelli aliquod remedium invenire possent, congregati tra-